

cesserunt Regularibus privilegium predicandi in Ecclesiis suorum Ordinum, atque in communibus plateis, omnes unanimiter, primus quidem in *cit. Cap. Super Cathedralam, de sepulturis*, alter in *cit. Cap. Inter cunctas, de privilegiis, inter Extravag. commun.* & Clemens V. in *Clem. Dudum, de sepulturis*, horam exceperunt, in qua ipsemet Episcopus predicat, *vel coram se solemniter predicare facit*; tunc enim in eadem Civitate, seu oppido, quemlibet inferiorum silere iusserunt, nisi Episcopus ipse aliter iudicaverit. Et recte quidem; etenim, cum solus Episcopus in sua dioecesi sit publicus Doctor, & Magister, indecens profecto est, ut, eo docente, quisquam discipulorum docere presumat. Porro ad rem presentem perinde esse videtur, siue ipsemet Episcopus magisterii cathedram ascendat, siue alium deputet, qui coram se e suggestu verba faciat: hic quippe tunc non reputatur merus coadjutor, & cooperor Episcopi in predicationis officio, sicuti a citato Concilio Lateranensi ceteros nuncupatos audivimus, qui ad annunciandum Dei verbum ab Episcopo destinantur, sed videtur esse speciale instrumentum, quo presentem Episcopus utitur ad suos animi sensus suo populo manifestandos, eumque ad virtutem, & pietatem informandum.

VII. Jam vero nulla unquam in sacra Congregatione Concilii fuit difficultas circa prohibitionem factam Regularibus, ne ea hora in suis Ecclesiis conciones habeant, qua Episcopus per semetipsum predicat; sed semper, & firmiter censuit, ejusmodi prohibitionem in suo robore permanere, atque ad unquam esse servandam. Ita quippe respondit in *Pacen. 26. Aprilis 1607. ad 4. dub. lib. 89. Positionum pag. 170. in Brevissima 17. Februarii 1629. lib. 14. Decretor. pag. 32. in Brundusina 10. Martii 1645. lib. 17. p. 445.* quin immo eadem Congregatio semper fuit in sententia, licere Episcopo concionem habere ad populum in qualibet suae dioecesis Ecclesia, etiam si ad Regulares pertineat, juxta ea, quae congeστα leguntur *tom. 8. Bullarii Ord. Prædicatorum*, editi ab Antonio Bremond, nunc ejusdem Ordinis Generali Magistro, *tit. 3. q. 1. n. 37.* Sed sæpius questio agitata est super secunda prohibitionis parte, qua interdicitur Regularibus, ne prædicent, quando Episcopus *coram se solemniter predicare facit*; quoniam, etsi eadem Congregatio olim respondisset, hanc quoque prohibitionem sustineri, attamen Gregorius XIII. vehementer dubitavit, an id esset usui receptum; sicuti adnotatum reperimus in *cit. lib. 89. Positionum p. 171.* Enimvero, cum soleant Episcopi concionibus in sua Cathedrali interesse tempore Adventus, & Quadragesimæ, si prædicta prohibitio vigeret, deberent Regulares ab habendis in suis Ecclesiis concionibus abstinere eo potissimum tempore, quo Fideles illas audire solent, & hac de causa

eorumdem Regularium Ecclesias frequentant. Hæc autem ratio tantæ efficacitatis visa est sacre Congregationi Concilii, ut in allegata causa *Pacen. 26. Aprilis 1607.* dixerit, nulli quidem fas esse concionari, quando Episcopus ipse per semetipsum ad suum populum verba facit, sed nequaquam impediri posse Regulares, ne in propriis Ecclesiis conciones habeant, quando Episcopus *coram se solemniter predicare facit*: at postmodum, eadem questione novo examini subiecta, in citata causa *Brundusina 10. Martii 1645.* eadem Congregatio mentem suam clarius explicans, declaravit, id esse intelligendum, cum Episcopus consuetis concionibus interest, quæ per annum fieri solent: sed, si eundem Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu, & populo, coram se predicare faciat*, tunc illi licere dicit, præcipere Regularibus, ut a predicando abstineant, atque inobedientes poenis etiam censuratum coercere. Eisdem omnes prædictæ rerum circumstantiæ videntur efficere illam solemnitatem, quam jura requirunt, ut non liceat eodem tempore Regularibus prædicare: secus vero accidit, cum, tempore Adventus, & Quadragesimæ, Episcopus concioni adest; tunc quippe non videtur Episcopus *facere coram se solemniter predicare*, sed potius concionem audire, quæ etiam eo absente haberetur.

VIII. Quoniam autem in Synodalis Constitutionibus, seu Episcoporum edictis, non possunt omnia explicari, quæ necessaria sunt ad discernendum, quandonam cum veritate, & proprietate sermonis dici possit, quod Episcopus faciat *coram se solemniter predicare*; idcirco eadem sacra Congregatio Concilii, ad præcavendas lites, & discordias inter Episcopum, & Regulares, die 12. Julii 1687. censuit, posse quidem Episcopum in peculiaribus eventibus, in quibus opportunum reputet solemnem indicare concionem, coram se ab alio habendam, inhibere Regularibus, ne ea ipsa hora in suis Ecclesiis prædicent; minime tamen expedire, ut constitutione, seu edicto illis generatim prædicare prohibeat, quotiescumque ipse *coram se solemniter predicare faciet*: inde enim innumere orientur lites, an hæc, aut illa concio, coram Episcopo habita, iis fuerit prædicta qualitatibus, seu comites habuerit conditiones, quas sacra Congregatio Concilii ad ejusdem solemnitatem requirit declaravit. Fingite, Episcopum, sola motum curiositate celebrem quendam Oratorem audiendi, eidem injungere, ut solemnem quadam die in sua Ecclesia Cathedrali piium aliquod argumentum e suggestu exponat, atque, ad eundem auditorum frequentia cohonestandum, Clerum convocare, Magistratum, & populum; nulla profecto tunc præter justa causa prohibendi, ne in aliis Ecclesiis, præsertim Regularium concio fiat: & tamen hic casus sub generali constitutionis prohibitionem comprehendetur, a qua ceteroquin fuisset excipiendus.